

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO**

*Level Two Medieval Latin Examination*

**20 April 2016**

\*\*\*\*\*  
Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**  
\*\*\*\*\*

**Thomas Aquinas, meditation on the blessed sacrament**

Adoro devote, latens veritas,  
te qui sub his formis vere latitas:  
tibi se cor meum totum subicit,  
quia te contemplans totum deficit.

Visus, gustus, tactus in te fallitur;  
sed solus auditus tute creditur.  
credo quidquid dixit Dei filius;  
nihil veritatis verbo verius.

In cruce latebat sola deitas;  
sed hic latet simul et humanitas.  
ambo tamen credens atque confitens  
peto quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor;  
meum tamen Deum te confiteor.  
fac me tibi semper magis credere,  
in te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,  
panis veram vitam praestans homini,  
praesta meae menti de te vivere,  
et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane, Iesu Domine,  
me immundum munda tuo sanguine,  
cuius una stilla salvum facere  
totum mundum posset omni scelere.

Iesu, quem velatum nunc aspicio,  
quando fiet illud quod tam cupio,  
ut te revelata cernens facie  
visu sim beatus tuae gloriae? Amen.

### **Bernard of Clairvaux agrees to write about loving God**

Viro illustri domino Aimerico ecclesiae Romanae diacono cardinali et cancellario, Bernardus, abbas dictus de Claravalle: 'Domino vivere et in Domino mori.' Orationes a me, et non quaestiones, poscere solebatis: et quidem ego ad neutrum idoneum me esse confido. Verum illud indicit professio, etsi non ita conversatio; ad hoc vero, ut verum fatear, ea mihi deesse video, quae maxime necessaria viderentur, diligentiam et ingenium. Placet tamen, fateor, quod 'pro carnalibus spiritualia repetitis,' si sane apud locupletiore[m] id facere libuisset. Quia vero doctis et indoctis pariter in istiusmodi excusandi mos est, nec facile scitur, quae vere ex imperitia, quaeve ex verecundia excusatio prodeat, si non iniuncti operis oboeditio probat, accipite de mea paupertate quod habeo, ne tacendo philosophus puter. Nec tamen ad omnia spondeo me responsurum: ad id solum quod de diligendo Deo quaeritis, respondebo quod ipse dabit. Hoc enim et sapit dulcius, et tractatur securius, et auditur utilius. Reliqua diligentioribus reservate.

## **Abbo of Fleury finds solace in his English exile**

Omnipotentia diuine maiestatis, que tempora mutat et ordinat, me ab ineunti etate, prout uoluit, multifariam et multis modis temptari permisit, quoad iuuenilis etatis robur aduersitatibus assuesceret, cui ad cumulum uirtutis tandem succresceret infortunium oblate peregrinationis. Quam etsi inter tot religiose uite uiros, Deo auctore, perfero qui me quasi seipsos diligunt, ut ipsa re conicio, non tamen uoti impos sine dolore recordari ualeo, quod illius mei spiritalis alumpni in presentiarum corporali presentia minime perfruor, que aliquando perfruenti erat ipsa uita dulcior.

Nunc quia ita contigit, per oboedientiam que melior est uictimis, non solum fratrum cum quibus moror imperiis deseruire gestio, uerum etiam quibusque huius insule iuxta modulum mee paruitatis desidero prodesse, quoniam non sine diuino constat moderamine gestum quod, sedatis fluctibus marine tempestatis, ad id deueni exilii cum mira tranquillitate tam uasti equoris; ubi, dum quibusdam studiorum occupationibus detineor, leuior fit calamitatis miseria quam tolero.

## **Gregory IX promulgates the *Liber extra* (1236)**

Rex pacificus pia miseratione disposuit sibi subditos fore pudicos, pacificos et honestos. Sed effrenata cupiditas, sui prodiga, pacis aemula, mater litium, materia iurgiorum, tot quotidie nova litigia generat, ut, nisi iustitia conatus eius sua uirtute reprimeret, et quaestiones ipsius implicitas explicaret, ius humani foederis litigatorum abusus exstingueret, et dato libello repudii concordia extra mundi terminos exsularet. Ideoque lex proditur, ut appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honeste vivat, alterum non laedat, ius suum unicuique tribuat, informatur. Sane diversas constitutiones et decretales epistolas praedecessorum nostrorum, in diversa dispersas volumina, quarum aliquae propter nimiam similitudinem, et quaedam propter contrarietatem, nonnullae etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur, aliquae uero vagabantur extra volumina supradicta, quae tanquam incertae frequenter in iudiciis vacillabant, ad communem, et maxime studentium, utilitatem per dilectum filium fratrem Raymundum, capellanum et poenitentiarum nostrum, illas in unum volumen resecatis superfluis providimus redigendas, adiicientes constitutiones nostras et decretales epistolas, per quas nonnulla, quae in prioribus erant dubia, declarantur.